

meis, * et pálpebris meis
dormitatióinem :

Et réquiem tempóribus
meis : donec invéniam lo-
cum Dómino, * tabernácu-
lum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in
Ephrata : * invénimus
eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernácu-
lum ejus : * adorábimus in
loco, ubi stetérunt pedes
ejus.

Surge Dómine in réquiem
tuam, * tu et arca sanctifi-
catiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur
justítiam : * et sancti tui
exsúltent.

Propter David servum
tuum, * non avértas fáciem
Christi tui.

Jurávit Dóminus David
veritátem, et non frustrábitur
eam : * de fructu ventris tui
ponam super sedem tuam.

Si custodíerint filii tui
testaméntum meum, * et
testimónia mea hæc, quæ
docébo eos :

Et filii eórum usque in
sæculum, * sedébunt super
sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus
Sion : * elégit eam in habi-
tatióinem sibi.


Hæc réquies mea in sæ-
culum sæculi : * hic habi-
tábo quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens
benedícam : * páuperes ejus
saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam
salutári : * et sancti ejus
exsultatióne exsultábunt.

Illuc producam cornu
David, * parávi lucérnam
Christo meo.

Inimícos ejus índuam
confusióne : * super ipsum
autem efflorébit sanctificatió
mea.



Ant. DE fructu ventris tu-i ponam super sedem tu-am.

¶ Prædictæ Antiphonæ cum suis Psalmis dicantur quo-
tidie ad Vesperas, etiam in festis Sanctorum, usque ad
Circumcisionem exclusive.